



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim**

**Innozenz <III., Papst>**

**Parisiis, 1682**

Archiepiscopis, Episcopis, Abbatisbus, Prioribus, ad quos istae litterae  
pervenerint.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-20006**

disciplinari se faciat cum virgis quas in manu gestabit, sicque in silentio & jejunio usque post vesperam diem ducat, & tunc ad sustentationem naturæ pane tantum reficiatur & aqua, illis verò quindecim diebus peractis, præparet se ut infra mensem incipiat Hierosolymitanam provinciam proficisci, ubi per triennium defudet in obsequio crucifixi, arma de cetero contra Christianos minimè assumpturus, & per duos annos omnibus sextis feriis in pane & aqua jejunet, nisi fortè per indulgentiam alicujus discreti Pontificis, vel propter debilitatem corporis, vel propter fervorem ætatis, hæc abstinentia temperetur. Tu ergo redeuntem hoc modo recipias, & injunctam sibi pœnitentiam eum facias observare. Datum apud monasterium Sublacense.

*ARCHIEPISCOPIS,  
Episcopis, Abbatibus, Prioribus, ad quos  
istæ litteræ pervenerint.*

*Epist. 78.  
De pœnitentia  
injuncta ei qui  
propter mortem  
suam, deinde  
uxorem occi-  
dit propter fa-  
mem.  
Odor. Raynald.  
ad an. 1202.  
§. 11.*

**A**D apostolicæ sedis clementiam lator præsentium Robertus accedens, peccatum suum grande quidem & grave lacrymabiliter est confessus, quòd cum captus à Sarracenis cum uxore detineretur & filia, mandatum exiit à Principe, quem ipsi nominant Admiratum, ut quia famis inualebat inedia, quicumque captivus prolem haberet, illam occideret; cujus occasione mandati miser ipse, cum famis angustia perurgeret, occidit filiam & comedit. Cumque iterum aliud edictum, propriam interfecit uxorem; sed de carnibus ejus gustare non potuit, cum ad vescendum coctæ sibi fuissent oblatae. Nos igitur tanti criminis horrore turbati, talem ei pœnitentiam duximus injungendam ut nunquam de cetero carnibus pro quacunque necessitate vesceretur, sed singulis sextis feriis in pane & aqua jejunet, similiter in secunda & quarta feria quadragesimæ quæ antecedit natalem, & ejus quæ pascha præcedit, ceteris autem diebus utriusque quadragesimæ devotè jejunans, uno tantum sit pulmento contentus, quod & in sanctorum vigiliis diligenter observet. Discalceatus incedat cum tunica lanea, brevissimo scapulari, pœnitentialem baculum ad mensuram unius cubiti gestans in manu, nihil ampliùs à quocunque accipiens nisi quantum ad esum sibi sufficiat uno die, nec unquam per duas noctes in eodem loco moretur, nisi fortè articulus necessitatis ingruerit, & propter infirmitatem vel hostilitatem aut etiam intemperiem tran-

fire non possit, sicque sanctorum limina visitet per triennium, & cum venerit ad Ecclesiam, prostratus, non intret nisi priùs cum virga vel corrigia susceperit disciplinam, sine spe conjugij perpetuò perseveret, & publicis luctis nunquam interfir, orationem dominicam centum vicibus dicat in die, & toties ac quoties genu flectat, peracto verò triennio cum literis istis ad sedem apostolicam revertatur misericordiam petiturus, & quod ab ea sibi fuerit injunctum satagat observare. Vos ergo, fratres & filij, misero misericordiam impendentes, in necessitatibus aperiatis ei viscera caritatis. Datum ut supra III. Nonas Septembris.

*ABBATI ET CAPITULO  
sancti Iohannis Senonensis.*

**E**X susceptæ nobis imminet officio servitutis Ecclesiarum utilitatibus studio. sius imminere sicque præcavere ipsarum gravaminibus & jacturis ut sub regimine nostro debita gaudeant libertate, ac ab aliquibus contra justitiam non graventur. Eapropter, dilecti in Domino filij, vestris justis postulationibus inclinati, devotioni vestræ auctoritate præsentium indulgemus ut nullus in vos vel Ecclesias vestras, nisi pro manifesta & rationabili causa, interdicti vel excommunicationis audeat sententiam promulgare. Nulli ergo &c. hanc paginam nostræ concessionis &c. Datum apud monasterium Sublacense Non. Septembris, pontificatus nostri anno quinto.

*Epist. 79.  
Indulget ne  
quis sententiam  
interdicti vel  
excommunicationis  
ferre possit in illud  
monasterium.*

*ABBATI ET CONVENTUI  
Sublacensi.*

**C**VM ad monasterium Sublacense personaliter venissemus. Et infra. Firmiter inhibuimus ne quis de cetero monachorum lineis camisis uteretur. Ad defectum autem hospitalitatis suppleendum mouturam unius molendini concessit, ampliora pro tempore concessurus, ita tamen quòd ad necessitatem pauperum sublevandam eleemosyna de cellario conferratur. Nos autem præfatas Ecclesias, quæ Clericis secularibus in beneficium fuerant assignatæ, ad usum revocavimus infirmorum, concessionem hospitalis quæ facta fuerat Episcopo Anagnino irritam decernentes, & statuentes ne cuiquam ulterius in beneficium concedatur, sed infirmarius disponat de illis Ecclesiis prout ad necessitates infirmorum magis noverit expedire. Prohibemus ergo districtè in virtute obedientiæ, sub obtestatione divini judicij, ne quis

*Epist. 82.  
De quibusdam  
vitiis emen-  
dandis quæ rite  
ter monachos  
irrepleant.  
Cap. Cùm ad  
monaster. De  
statu monachor.*